

Christo duce,

INFRA SCRIPTA THEMATA, DIE
MARTIS PROXIMO, DEFENDET D. GVILIELMVS SV-
lenius, artium liberalium Magister, & sacrae Theologiæ
Baccalaureus formatus.



I.

Ræter Sacerdotium, in Ecclesia Catholica sunt, & Maiores, & Minores Ordines, quibus Hierarchicum Ecclesiæ corpus suis numeris absoluuntur, & uelut gradibus quibusdam ad Sacerdotium ascendit.

II.

Sacerdotum munus est euangelizare, baptizare, uerum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi confidere, & administrare, peccata remittere, & cætera omnia grauiora Ecclesiæ negotia, magna cum fide, & religione obire.

III.

Veruntamen si qui ex eorum albo, non euangelizant, nō baptizant, non consecrant, non absoluunt, non ullam deniq; aliam functionem, uocationi suæ consentaneam obeunt, non ideo desinunt esse sacerdotes.

IV.

Etenim ut maxime, qui Laicus est, Sacerdos fieri queat, ut is tamen, qui semel Sacerdotio rite initiatus est, simpliciter denuo Laicus fiat, id omnino fieri non potest.

V.

Est autem Ordo non merus ritus eligendi uerbi Ministros, ut configunt Sectarij, sed uerè, & propriè Sacramentum, à Iesu Christo Domino nostro institutum, animam sanctificans, indelebilisq; potestatis notam, quam Maiores imitati characterem appellamus, eidem imprimens.

VI.

Ordinis porro nomine non ipsam, que per sacram Ordinationem confertur, potestatem, hoc loco accipimus: ea enim occulta est, & animo insidet, sed uerba & ceremonias exteriores, quibus eiusmodi facultas à ministro, in Ordinis candidatum transfunditur.

VII.

Vñctiones, sacri uestitus, & alta, id genus, nonnulla, quibus Ecclesia inter Ordinandum uititur, ita de Sacramenti huius ratione existunt, ut tamen non sit nullum, si omittantur. Peccant tamen grauissime, qui studio ea omittunt, uel contemnunt.

VIII.

Inter eos, qui Ordinum consociationem consequuntur, principem locum tenent Episcopi, proximum Presbyteri, postremum Ministri.

IX.

Ministros autem appellamus non eos solum, quos alij alio, hoc est, græco uocabulo Diaconos uocant: uerum reliquos omnes, qui Sacerdotio subseruiunt: siue illi fuerint Diaconi propriè dicti, siue Acolyti, siue etiam Hypodiaconi.

X.

In horum omnium electione populi suffragium, ciuilisq; Magistratus iudicium requiri potest, & nonnunquam etiam requisitum legitur, id tamen ut fiat haud quaquam necessarium est. Sufficit enim si singuli Majorum suorum autoritate assumantur, & confirmantur, Episcopi quidem à Pontifice Maximo: reliqui uero inferiores à suis Ordinarijs.

XI.

Quod si qui Ecclesiastica autoritate contempta, tantummodo à populo, aut sœulari potestate uocati, ad diuina ministeria obeunda ascendunt, aut propria temeritate in ea se se ingerunt, ac intrudunt, hi omnes non pro legitimis Ecclesiæ Ministris, sed profuribus, & latronibus habendi sunt: ut qui aliunde, quam per ostium, in ouile Christi irrepserint.

XII.

Negari non potest absq; uisibili Sacerdotio Christianam Rempublicam diu in columem consistere non posse, attamen multo fortassis satius fuerit, per paucos, aut omnino etiam nullos sacrorum Ministros habere, quam eiusmodi nequam, & impios, cuiusmodi hac tempestate quibusdam in locis Sacrîs præficiuntur.

LAVS DEO.

Præsidebit C. T. D.

EXCVDEBAT VVEISENHORNIUS INGOLSTADII,

Anno M. D. LXIX.

